

Alienati sunt impii מִרְחָה à vulvâ sive ab utero, id est, in utero matris (per metonymiam subjecti hyperbolicam, inquit Piscator: in hyperbole ponenda, hic à Photinianis non longe abiens: cum tamen ibi non sit hyperbolicus sermo, sed verus & proprius, describens granditatem & profunditatem peccati originalis) erraverunt מַבְטֵן, id est, ab utero, &c. Notandum hinc מִרְחָה seu (extra pausam) מִרְחָה significare non tantum, inde à primo nativitatis initio: sed etiam in matrice matris. Vide Jer. 20. v. 17. Sic מַבְטֵן quoque idem notat. Confer Psal. 22. v. 10. 11. & 71. v. 6. Jud. 13. v. 5. 17. & 16. v. 17. Esa. 44. v. 2. & 49. v. 1. Hosea 9. v. 11. Quem loquendi modum observat Spiritus S. etiam in N. T. Luc. 1. v. 15. Act. 3. v. 2. & 14. v. 8. & Gal. 1. v. 15. Hinc itaque argumentor: Qui propriè alienatus est, seu qui se alienavit à Deo, in vulvâ matris suæ, à primo exinde egressu, & ab utero erravit, is jam inde in primâ infantiâ, imo in utero matris propriè habuit peccatum non otiosum, sed ex natura sui operosum; quia peccatum proprie dictum, separat incredulos à Deo, Esa. 59. v. 2. & vera deviatio à tramite rectitudinis est ἀνομία proprie dicta. Et terminis, actum notantibus, hic effertur peccatum originis, non duntaxat ex linguae Hebrææ idiotismo, (apud Hebræos enim verba sæpe significant non tam actionem, quam habitum) sed etiam propterea, ut indoles vitii illius nativi efficax, & quasi agilis seu motrix exprimatur. At peccatores proprie (nulla namque tropi indicia Spiritus S. hic ponit) alienati sunt à Deo, in vulva &c. E. Aug. T. 7. super hunc Psalmum p. 231. ait: *A vulvâ, id est, ab ipsa origine, alienati sunt peccatores. Ilnde alienati? A veritate. Ilnde alienati? A patria beata, à vita beata &c.*

45. Porro Esa. cap. 48. v. 8. inquit Jehova: *Nam novi te prævaricando prævaricaturum esse, & transgressor (defectorem) inde à ventre te vocatum à me.* Quibus verbis Jehova respicit ad antecedentia, quibus populum de rebus istis futuris præmonuerat, rationem præmonitionis & prædictionis suæ reddens hanc, quia sibi perspectissima sit populi pravitas non tantum actualis; sed etiam originalis. Vocat enim transgressor seu defectorem populum *ex utero*. Jam vero populus non à prima sui conceptione & nativitate est malitiosus Dei defector; quia ad hanc malitiosam ἀποστολam requiritur πειραγμός voluntaria. E. populus est defector & transgressor ab utero respectu pravitatis ingenitæ, cumque suis motibus vitiosis connexæ, & in annis sequentibus criminibus atrocibus exasperatae. Sicut catuli luporum etsi nondum à se raptas & dilaceratas oves devorent: tamen in-